

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

April 13, 1994

Translate **ALL** PASSAGES. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

\*\*\*\*\*

1. Hugh of St. Victor: How to Read

Principium autem disciplinae humilitas est, cuius cum multa sint documenta, haec tria praecipue ad lectorem pertinent. Primum ut nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat; secundum ut a nemine discere erubescat; tertium ut cum scientiam adeptus fuerit, ceteros non contemnat. Multos hoc decepit, quod ante tempus sapientes videri volunt. Hinc namque in quendam elationis tumorem prorumpunt, ut iam et simulare incipient quod non sunt et quod sunt erubescere, eoque longius a sapientia recedunt quod non esse sapientes sed putari volunt. Cuiusmodi multos novi qui, cum primis adhuc elementis indigeant, non nisi summis interesse dignantur, et ex hoc solummodo se magnos fieri putant si magnorum et sapientium vel scripta legerint vel audierint verba. "Nos," inquiunt, "vidimus illos, nos ab illis legimus. Saepe nobis loqui solebant. Illi summi, illi famosi, cognoverunt nos." Sed utinam me nemo cognoscat et ego cuncta noverim. Platonem vidisse, non intellexisse gloriamenti; puto indignum vobis est deinceps ut me audiatis.

## **2. Richard FitzNeal: Murder and its remedy**

Porro murdrum proprie dicitur mors alicuius occulta cuius interfector ignoratur.

Murdrum enim idem est quod absconditum uel occultum. In primituo itaque regni statu post conquisitionem qui relict iuerant de Anglicis subactis, in suspectam et exosam sibi Normannorum gentem latenter ponebant insidias, et passim ipsos in nemoribus et locis remotis, nacta opportunitate, clanculo iugulabant. In quorum ultione cum reges et eorum ministri per aliquot annos exquisitis tormentorum generibus in Anglicos deseuerirent, nec tamen sic omnino desisterent, in hoc tandem deuolutum est consilium, ut centuriata, quam hundredum dicunt, in qua sic interfectus Normannus inueniebatur, quod mortis eius minister non extabat, nec per fugam quis esset patebat, in summam grandem argenti examinati fisco condempnaretur; quedam scilicet in xxxvi libras, quedam in xlivi libras, secundum locorum diuersitatem et interfectionis frequentiam. Quod ideo factum dicunt, ut scilicet pena generaliter inflictia pretereuntium indemnitatem procuraret, et festinaret quisque tantum punire delictum, vel offerre iudicio per quem tam enormis iactura totam ledebat viciniam.

## **3. Nigel of Canterbury: Glory of martyrdom**

Palma triumphalis roseo redimita cruento  
diuitiis cunctis digno precellit honore.  
  
Palma triumphalis uictores iure coronat;  
gaudia post luctum, uitam post uulnera donat.  
  
Gloria martyrii, quam ditat honor specialis,  
dignum laude docet quem ditat gloria talis.  
  
Gloria martyrii, fuso licet empta cruento,  
inter celicolas quodam prefulget honore.  
  
Gloria martyrii, sit fas michi uera fateri,  
celsior est toto quam possit ab orbe uideri.  
  
Sanguinis hanc precio precioso promeruere  
huius qui propter eam morti sua seque dedere.  
  
Huius opes uarii uario meruere labore,  
dum non succubuit constantia uicta timore.

Omnibus uera fides fidei feruebat amore;  
pena tamen dispar, dispar quoque lux in honore.  
Spes et amor fidei fidei succendit amorem,  
que tormentorum dat non sentire dolorem.

#### 4. **Gregory VII: proceedings against the Emperor**

Audiuimus quosdam inter uos de excommunicatione quam in regem fecimus dubitare ac querere utrum iuste excommunicatus sit et si nostra sententia ex auctoritate legalis censure ea qua debuit deliberatione processerit. Quapropter qualiter ad excommunicandum illum adducti sumus, prout uerius potuimus teste conscientia nostra, oculis et intellectibus omnium patefacere curauimus, non tam ut singulas causas, que (heu!) nimium note sunt, quasi nostro clamore proiciamus in publicum, quam ut eorum opinionibus satisfaciamus qui putant nos spiritalem gladium temere et magis motu animi nostri quam diuino metu et iusticie zelo arripuisse.

Cum adhuc in diaconatus officio positi essemus, perlata ad nos de regis actionibus sinistra et multa inhonesta fama, propter imperiale dignitatem et reuerentiam patris et matris eius necnon propter spem ac desiderium correctionis sue sepe eum per litteras et nuncios admonuimus ut a prauitate sua desisteret et, memor clarissimi generis ac dignitatis sue, uitam suam moribus quibus regem et futurum, Deo donante, imperatorem deceret institueret.